



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Pragmatica, Seu Lex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

PAROCHUS.

PRIMò, potest audire confessionem sui parochiani, etiã extra suam parochiã, & extra suam Dioccesim, Sum. Sacram. 9. 151. Sylvest. in *vers. confessor*, 1. num. 12. Armilla in *ver. Confessio*, num. 34. Gom. in c. 2. §. *statut*, n. 57. de *Constit. lib. 6.* Capyc. dec. 203. num. 15. Anch. in c. *ca qu*, nu. 2. de *reg. iur. lib. 6.*

Secundò, an parochus possit abesse à sua parochia sine licentia Episcopi per duos menses, vide in *ver. privatio*, §. 4. *dub. 2.* ubi habetur quòd sic.

Tertiò, an possint esse duo Curati seu parochi in solidum in una parochia, vide *Reb. pract. tu. de non prom. in an. nu. 69.* ubi dicit, quòd non, nisi essent duæ parochiæ in una, & partita Cura, auctoritate Papæ.

Quartò an parochi, & Rectores teneantur habitare in domo parochialium ipsarum, vel prope, vel intra limites Parochiæ? Respondetur à sac. Cong. in facto pro Civitate Bononiæ, *declar. 515.* in hæc verba, *Congr. Conci. censuit, rectores parochialium debere residere in domo ipsarum parochialium, quod si parochiales domos non habent, tunc in alia domo, qua sit intra limites parochia, aut saltem ita vicina parochiali Ecclesia, ut inde commodè possint per seipfos ei inservire.*

Quintò, parochiani, seu populus an teneatur custodire, & defendere suum parochum? Respondetur, quòd sic, ita sac. Congr. *declarat. 141. in meis*, in hæc verba: *Populo, qui potuit obviare morti e-*

ius parochi, perpetrata in Ecclesia, qua propter id facinus polluta est, debet antequam reconcilietur, per Episcopum injungi pœnitentia condigna.

Sextò, an parochus de licentia sui Ordinarium possit abesse à sua parochia longo tempore ex justa causa, puta ut sit Vicarius generalis alicujus Episcopi. Nav. *conl. 15. de cler. non resid.* dicit quòd sic, tamen Apostilla ibi dicit, quòd sac. Congreg. censuit, Ordinarium hanc licentiam non posse dare, & quòd ipse viderit Curatum petere licentiam à Papa circa hoc negotium, & ego vidi Canonicos Beneventa nos oportuisse habere licentiam à sac. Congreg. ut possent esse Vicarii, vel officiales alicujus Episcopi.

Septimò, quæ pœna parochi, cujus culpa, seu negligentia parochianus sine pœnitentia moritur? Respondetur, quòd arbitraria. Nav. *cons. 3. de paroch.*

PRAGMATICA, SEU LEX.

SUMMARIUM.

- 1 An obliget in conscientia.
- 2 An personas ecclesias circa pretia rerum, & alia.
- 3 An obliget etiam in statu ecclesiastico.
- 4 An laici possint facere statutum, prohibens ne clerici gaudeant privilegio ipsius.

AD primum, Leges, & pragmatikas omnes pœnales, Pontificias, Cæsareas, Regias, & Municipales justas, obligare in conscientia, patet per D. Th. p. 2. q. 96. art. 4. in corpore, Tabien. in *ver. lex*, num. 24. §. 23. nu. 48. Sylvest. in

*ver. lex, §. 8. Boer. decis. 1. num. 73. Et in-
frō. c. quo iure, 8. distinct. Abb. Feln. &
Dec. in cap. 1. de Constit. num. 8. Ial. in l. ne-
mo potest, in 2. lect. numero 106. ff. de leg.
1. Innoc. & Abb. in c. quia plerique, de
immun. Eccles. Covar. in c. cum esses, nu.
6. de testam. Castr. lib. 2. ca. 12. de iust.
horet. punit. Tiraq. de iuro. retract. in præ-
fat. num. 73. Et non solum leges Civiles,
& Canones obligant in foro conscien-
tiæ & animæ, sed etiam statuta, ut vult
Gloss. in cap. qua Ecclesiarum, in ver. con-
stituerunt, de constitut. Bald. in dist. 6.
1. col. .. Iason. in l. si post divisionem, num.
6. de iur. & fact. ignor. & Anchar. in
reg. possess. de reg. iur. lib. 6. hinc deducun-
tur multa.*

Primum, hoc valere in pretio rerum,
nam si quis sciret probabiliter pragmati-
cam futuram taxatam pretia rerum, si
antequam publicaretur venderet fru-
mentum, vel quid simile carius, quam
taxatum sit in pragmatica, non teneretur
ad restitutionem, D. Tho. 2. 2. q. 77.
art. 3. Covar. in reg. peccatum, 2. par. §. 4.
num. 8. facit c. sine culpa, & ibi Dyn. num.
1. de reg. iur. lib. 6.

Secundum, si verò sciret certò, ut
quia ipse esset unus ex Consiliariis Magi-
stratus, ubi sanciuntur pragmaticæ, &
suspenderet ipsius promulgationem,
donec frumentum vel aliquid simile su-
um venderetur, vel si quis sciens pro-
mulgatam esse alibi, in alio loco vende-
ret ultra pretium præfixum in pragmati-
ca, teneretur restituere, non aliis, sed
danti. Similiter, si esset practicus in Ma-
gistratu, ubi sit pragmatica, & sciens ip-
sam factam, ante promulgationem ven-

detet, teneretur ad restitutionem, Ro-
man. sing. 286. Fel. in cap. 2. de Consti. So-
to lib. 4. q. 1. art. 4. de iust. & iure, Foller. in
addit. ad Alaran. 4. p. dist. 4. num. 61. &
ratio est, quia paria sunt, promulgatio
legis, & notitia ejusdem, idè fit pro-
mulgatio, ut perveniat ad notitiam ho-
minum, nec urget c. 3. Et ibi gl. in ver. pub-
lica, de postul. pralat. ubi dicitur, post pro-
mulgationem, nec Authentica, ut facta
nova Constit. in Rubro, & nigro, col. 5. Et c.
si. ne cler. vel mon. c. noverit, de sent. ex-
comm. Sylvest. in ver. lex, num. 6. §. 6. ver.
3. ubi habetur, leges obligare post pro-
mulgationem ad duos menses, quia il-
lud intelligitur in foro fori, secus verò in
conscientia: quia sufficit scire fuisse pro-
mulgatam in palatio Principis, nam ex
tunc incipit obligare, Soto loc. cit. c. 1. Et
gloss. in Syl. loc. cit. §. 7. Gom. in q. 2. col.
12. in procem. reg. Cancell. & hoc valet eti-
am si Rex sanciens pragmaticam, habe-
ret plura regna, & provincias, & velit il-
lam obligare in aliis regnis, & provin-
ciis, & tamen illam promulgavit in uno
regno, sive in una Provincia, & scitur
ab aliis, nam antequam promulgaretur,
obligaret etiam in aliis regnis, &
provinciis. Ratio est, quoniam Lex, ut
promulgata censetur, non exigit, ut in
omnium notitiam perveniat, sed tunc
promulgatur, dum solenniter in Curia
Principis, vel in Provincia primo præ-
conio, vel alia legitima via edicitur; in c.
1. de postul. pralat. & Soto ubi supra, &
solum illi excusantur in conscientia,
qui verè ignoraverint, in foro verò
exteriori quoniam pacto censetur, vi-
de Panot. in c. cognoscentes de constitut.

Et in c. fin. qui matri. accus. pos. Sylv. loc. cit. §. 7. Navar. c. 23. n. 43. Et inf. Gom. in c. ut animarum, n. 45. de constit. lib. 6. Et in c. clericus, lib. 5. §. fin. versic. ulterius.

Tertium, si quis venderet frumentum, vel quid simile, plusquam taxatum est in Pragmatica, vel à Justitiariis, vel à Pandectis, teneret ad restitutionem totius illius, quod plus accepit, nec valet dicere, quod emptor, sive qui dedit, donavit ei illud plus, nec si Rex postea faceret indultum illis, qui vendiderunt, plusquam Pragmatica taxaverat, quia illud indultum absolvit à pœna fori exterioris, & nemo putatur jactare suum, vide pro litis Navar. cap. 23. num. 88. Medin. ca. de restitut. quest. 36. Et 37. Cast. lib. 1. cap. 12. de leg. pœn. Soto li. 6. q. 5. art. 3. de iust. Et jur. Flor. Theol. 4. Sent. tract. de empt. Et vendit. fol. 295.

Quartum, si quis servando justum pretium taxatum à Pragmatica, perderet, ut quia Pragmatica dicit Carlenos duodecim pro quolibet modio, & illi constiterit quindecim, vel quatuordecim, dico, quod teneretur servare pretium Pragmaticæ. Ratio est, quia lex est universalis, & universaliter ligat. Soto loc. cit. & Flor. Theol. ubi supra, fol. 263. l. pretia rerum ff. ad legem Falc. & hoc idem de magistris actorum, sive Monasteriis ementibus banchas, sive officia, & sumunt ultra pretium taxatum in Pandectis. Nec liceret in frumento ponere pulverem, & alia genera leguminum, ad hoc ut non perdat in pretio taxato per Pragmaticam.

Quintum, sequitur, quod si tempore caritæ, sive penuriæ fieret lex, statu-

tum, seu Pragmatica, ne quis asportaret frumentum extra Civitatem, Provinciam, vel Regnum, tunc obligaret ad peccatum mortale, Soto lib. 1. qu. 6. art. 4. Flor. Theol. loco cit. tract. de restit. vel lig. fol. 192.

Sextum, quod prohibitio armorum si imponeret magnam pœnam, ut puta amissionis vitæ, vel ad triremes, jacturæ bonorum, obligat ad peccatum mortale, quia ista multa restituerunt, & est inobedientia gravior, Soto loc. cit. Gom. in c. 2. de const. lib. 6. n. 57. & Gem. ibid. quicquid dicat Navar. c. 23. n. 53.

Ad secundum, videtur quod non, e. Ecclesia S. Maria, de constit. & ibi Abb. & omnes scribentes, Bar. & Doct. in lib. cunctos populos. C. de summa Trin. Et si. Cat. tamen his & aliis non obstantibus conclusio communis est, leges, statuta, Pragmaticas, & constitutiones laicorum, disponentes super contractibus, emptionibus, venditionibus, locationibus, & commodis, & pretiis rerum, obligare etiam personas ecclesiasticas, Sylvest. in ver. lex. n. 18. Soto lib. 1. q. 6. art. 7. concl. 1. in fi. de iustit. Et jure, Nav. ca. 23. num. 88. Flor. Theol. in 4. Sent. de Sacram. ord. in ult. Foller. in addit. ad Maran. 4. p. dist. 9. n. 119. Vinc. de Frac. in dec. 9. Sor. 4. sent. dist. 25. col. 4. c. 4. Qui omnes debent intelligi ut personæ ecclesiasticæ obligentur non vi legis, sed rationis.

Primum dubium, an quando pragmatica præcepit, ne occidantur talia, & talia animalia, obliget personas ecclesiasticas.

Secundum, quomodo hoc verum sit

cum Principes seculares non habeant potestatem imponendi poenam peccati mortalis, nec in animam.

Tertium, an personæ ecclesiasticæ teneantur ad poenam impositam per di-
ctam pragmaticam, si contra faciant.

Ad Primum, Sylv. loc. cit. in ver. si ve-
ro, dicit, quod quando lex est rationa-
bilis, & non contradicens canonicis,
servanda est etiam quoad clericos, & in-
ferius dicit, quando lex generaliter lo-
quitur, & potest se habere ad commo-
dum, seu incommodum, servanda est,
etiam quoad personas ecclesiasticas,
Abb. in c. 1. n. 8. de no. oper. nunciat. & ibi
Addit. Alex. de Neno, littera B. & Navar.
loco cit. circa med. cohortatur Principes
Ecclesiæ, ut suis edictis juvent poenas
secularium, quas ob misericordiam fa-
ciunt. Adest ratio, quia fit propter bo-
num publicum, Ang. in verbo, lex, §. 5.
Cast. lib. 2. c. 17. col. 2. de iust. heret. punie.
Facit, quod lex Imperialis, quando non
continet peccatum, nec fit in odium
clericorum, nec habet canonicum in con-
trarium, jura canonica volunt illam ser-
vari activè, & passivè inter clericos, Abb.
in c. 1. col. 13. de no. oper. nunt. & in c. non
minus, num. 20. de immun. Eccl. Novel.
de iure protim. §. 8. & 9. n. 40. & 41. ex
quibus ego statuo hanc conclusionem,
quod si cunctæ lex secularium sancitur
propter bonum publicum, ut ne hospite-
rentur latrones, ne interficiantur boves,
seu vaccæ, ne extrahantur equi, vel quid
simile à regno, quod fit propter conser-
vandam & expurgandam regionem à
maleficiis, ut affluat regnum, & ut colo-
niæ habeant boves ad colendos agros, ista

obligant in conscientia etiam personas
ecclesiasticas, non tamen vi legis sed ra-
tionis, ista habentur ex supradictis, & ex
Soto loc. cit. ar. 6. in prima conclusione, in
fi. Covar. pract. q. c. 33. n. 7. ubi dicit, Cle-
ricos non posse arma portare, quæ lege
laico um sint interdicta, text. optimus
in c. 1. §. si clericus, de pace tenen. & eius
viol. Fel. in cap. Ecclesia S. Mariae, de const.
col. 4. ver. quartum, & col. 42. ver. primo
limitatur, Mar. in dispus. 8. de iure congr.
n. 123. ver. 6. dicit ex Fel. in. quod quan-
do lex civilis non facit notabiliter præ-
judicium personis ecclesiasticis, debet
servari etiam inter Clericos, idem ibid. n.
25. vers. 8. facit quod nec lex eximit
iplos Principes sancientes, quoad vim
directivam, l. digna vox, C. de leg. D. Paul.
ad Ro. c. 13. ubi dicit, Omnis anima sub-
limioribus potestatibus subdita sit, ad Ho-
br. cap. 13. Dent. c. 17. facit quod lex hu-
mana pender à lege æterna, Proverb. ca.
8. Per me Reges regnant, & legum condi-
tores iusta decernunt. D. Thom. p. 2. q. 96.
ar. 4. in corp. facit, quod lex humana sanc-
ta, si recta est, à lege naturæ derivatur.
Soto ibid. q. 5. art. 2. sed personæ eccle-
siasticæ sub sunt legi naturæ, ut patet o-
mnibus, & Navar. loc. cit. ar. 1. facit, quod
lex constituitur in communi, sed quod
est commune, omnes tangit, Soto loc.
cit. ar. 1. facit quod lex humana præcipit
actus virtutis, ibidem art. 2. facit quod
licet aliquando leges humanæ in con-
scientia de se non ligent, quia tantum
bono humano ad versantur, obligant ta-
men quandoque ratione scandali, sed
scandalizantur laici, videntes leges hu-
manas parvi fieri ab ecclesiast. Facit
quod

quod obligatio legum auct. Deo est. Sot. l. 4. q. 6. art. 1. de iust. & iure. Faciunt quæ dicit Socin. in repet. l. moribus, colum. 9. versic. circa tertium. ff. de vulg. & pupill. quod lex civilis, quando non est nutritiva peccati, ligat, & servanda est, etiam in foro conscientiarum; Gom. in cap. 2. de constitut. libro 6. nume. 1. & gloss. in cap. quæ in Ecclesiarum, in versic. Constituerunt, de constu. & hoc ampliatur, valere etiam in statuto, Anchar. in cap. possessor, num. 14. de reg. jur. lib. 6. Gom. ibidem. & gloss. in cap. vi animarum, in ver. sententius, de constitut. lib. 6. Et ratio est, quia ubicunque imponitur pœna, ubi ad est culpa, Soto loc. cit. art. 4. li. 1. quest. 6. art. 5. de iust. & iure. Facit quod notat Covar. de sponsal. cap. 7. num. 8. vers. 4. & Cappyc. decis. 66. nu. 1. ubi dicit clericos ligari Pragmatica loquente de compromittendis inter conjunctos usque ad quartum. Facit quod notat Nove l. loc. cit. §. 8. & §. 7. num. 44. & 45. & Plato in Dial. 9. de leg. & sibi Ficinus in argu. 1. Facit quod dicit Bald. in Marg. Innoc. in versic. leges civiles, ubi dicit, quod si Lex civilis non est contraria Canonis, est servanda in foro ecclesiast. seu Canonico, licet Navar. cons. 3. de constitut. videatur sentire oppositum, circa abstractionem equorum à regno, tamen elige tutiorem, sive magis tutam partem.

Ad secundum, videtur quod non, quia cum non sint spiritualium Judices, non est eorum facultatis discernere, ut præceptum suum obliget sub reatu mortali, aut veniali. Facit d. c. Eccl. S. Maria. Ad hoc responderetur ex Soto in Sent. dist. 20. qu. 1. art. 4. col. pen. quod quam-

vis hoc principes sæculares non possint, tamen possunt constituere opus in genere virtutis, transgressio cuius ex natura, & quantitate rei pensata, sitne mortalis, aut venialis, dat circumstantiam peccati, & peccatur contra leges civiles, non quatenus homines subsunt illis, quoad animam, sed quatenus illa rerum transgressio est contra virtutem moralem.

Ex his sequitur responsio ad tertium, nam licet personæ ecclesiasticæ non observando leges laicales iustas, peccent mortaliter, vel venialiter secundum circumstantias & qualitates rei, seu negotii, & licet etiam pœnas impositas per illas incurrant, tamen ad illas in foro exteriori non tenentur coram Iudice laico, sed coram suo Iudice competenti, c. significasti, & c. si diligenti, de fo. comp. Hoc probatur primo, in liquidatione instrumenti, habentis executionem, vigore statuti. nam Clericus potest uti statuto contra laicum, sed non è contra tamen: quamvis Clericus non possit accusari, ad pœnam instrumenti liquidati coram laico, potest accusari coram Iudice competenti, pro eadem pœna. Bart. in d. l. cunctos populos, col. 6. ver. sed hic ulterius queritur. Mar. in disp. de iure cong. n. 14. & Foller. in addit. ad Marant. 6. p. 8. nu. 15. dicit quod si Clericus liquidavit instrumentum contra laicum, & malè liquidaverit, quod debet condemnari secundum formam Ritus Marg. Curie Vicar. Neap. quæ incipit, item si quis debitores, seu si hoc intelligitur à Iudice laico, non bene dicit, cum obstat dict. ca. Eccl. S. Mar. de Con-

318
Tit. & Abb. in cap. fin. 3. de vita, & hon. Cler. & Maran. ibid. actu 2. nu. 27. ubi dicit, quod clerici gaudent statutis laicorum pro se, non autem contra se, Tiraq. de utroque retract. tit. 1. gl. 8. n. 33: Novel. de iure protim. §. 8. & 9. n. 29. Covar. pra. qu. nu. 2. ver. Clericus verò, ubi dicit quod quando Clericus veniret condemnandus pœna propter aliquod crimen, vel non excipiendo coram Iudice laico, quod ad illam pœnam non potest condemnari, nisi à Iudice ecclesiastico. Idem Foller. in pract. crim. in tit. audien. excusat. n. 38. & Guid. Pap. q. 450. n. 1. & Foller. ibid. fol. 39. & 49. Facit idem Afflict. in Const. Si quis in posterum, not. q. 7. n. 8. ubi ex Io. And & Bur. in Rub. de consuet. dicit statutum laicorum non attendi in foro Ecclesiastico, facit cap. Sancta Maria, quod cum regulariter testis deprensus falsum coram Iudice efficiatur reus illius, cuius aures offendit, ut Bald. in l. nullum, ver. & non solum Iudex, C. de test. tamen Clericus, licet eadem dat hanc pœnam in iudicio laicali, non tamen in iudicio Ecclesiastico, Diaz in pract. crim. cas. c. 87. Bossius in tit. de falsis, n. 100. Covar. loc. cit. c. 18. col. pen. & ult. Afflict. de cis. 135. & Maran. ibid. actu 12. nu. 3. Tiraq. de retractu convent. §. 14. gl. 6. n. 10. facit quod notat ibid. Diaz loc. cit. c. 136. ubi ait, quod quando Iudex ecclesiasticus vellet punire Clericum delinquentem, & non habet pœnam impositam pro dicto crimine in sac. canon. nec constitutionibus synodalibus, potest recurrere ad iura civilia Imperatorum, & Regum, vide Addit. Alex. de Nevo in Abb. in c. 2. de novi. oper. nuntiat. 8. littera B. facit quod

notat Covar. loc. cit. c. 33. in fine, ubi asserit, pœnam incursum à clericis propter asportationem armorum contra interdictum legis secularis, posse exigi à Iudice ecclesiastico, & ibid. posse auferri à Iudice laico ipsa arma clerico, ea asportanti contra ejus præceptum, absque metu excommunicationis. Hinc fit, quod si animalia personarum ecclesiasticarum damnifera in prædio alicujus, non propter hoc teneri illos ad pœnam impositam per pragmatias, & constitutiones laicorum, sed tantum addamnum illatum, & ad pœnam arbitriam coram suo Iudice competenti. Facit quod, statuta laicorum quatenus sunt præceptiva, vel arctativa, non ligant personas ecclesiasticas, sed quatenus sunt privilegiativa, vel concessiva sic, quia in favore voluntarium, Gem. in c. fin. ver. quero pone, de offic. deleg. l. 6.

Ad tertium, facta pragmatica per regnum, an liget in utroque foro tam laicos quam ecclesiasticos, in statu ecclesiastico, vel in statu aliorum principum, ut pura Beneventi, & in Francia liget pragmatica Regis commorantes in statu Avinionis, & videtur quod non, cap. ut animarum, de constitut. in l. 6. & l. si. de jurisdic. om. iud. & in c. novit. de offic. leg. & facit ratio, quia extra territorium jus dicenti non pareretur impunè. Diceret quis, si Papa facit Bullas pœnales, an obligent in conscientia in terris Imperii, Regum, & aliorum Principum temporalium, & per jura superioris allegata, & videtur quod non, tamen responderetur, non esse parem rationem, quoniam sicut Episcopus potest in sua diocesi fa- cere

de re statuta pœnalia, obligantia in conscientia, etiam laicos, *d. c. ut animarum*, ita summus Pontifex in toto orbe, quia totum orbem habet pro diœcesi, *c. cuncta per mundum*, §. 2. *g. q. 3. Gom. in c. 1. n. 34. de constitu. l. 6.* præterea, quia facit unum consistorium cum Deo, idem *ibid. n. 38.* sicut Vicarius in suo Episcopo, *Clem. Et si generalis, de res. c. 2. de consuet. lib. 8.* & est Vicarius Dei, Archid. in *c. fundamenta, de elect. lib. 6.* appellatur Imperator, Ioan. And. in *c. per venerabilem, qui fil. sim leg. dicitur Rex, tex. in cap. cum inter unversas, in fi. de elect. Gom. in q. 2. de infir. resign.* & omnes mortales sunt subditi Papæ, Innoc. in *cap. 1. de constitu. Gom. q. 3. Et ibid.* & omnes laici ratione animæ subjiuntur Canonibus & præceptis Papæ, *c. novit. de iudic. Doct. in c. 1. Et in c. nam concupiscencia, de constitu. Imperator verò non sic, quia recipit potestatem à populo, Papa verò à Deo, ergo Imperator, & alii domini temporales solum possunt ligare subditos suos, Papa autem omnes, Gom. ut c. ut animarum, in §. statuto, n. 4. de constitu. lib. 6. Bos. in iii. de foro comp. num. 164. Et 169. ubi clarissimè de hac materia differit, quem videto, etiam Novel. de jure protim, in princ. constitu. n. 67. ubi Imperatorem non posse aliquid constituere in terris Ecclesiæ asserit: nam intentio mea non est transcribere de charta in papyrus, sed sufficit citasse Doctores, vide gl. in c. 2. de regul. jur. lib. 6. in ver. possessor, Nav. in c. si feneraveris, nu. 106. 14. q. 3.*

Ad quartum, vide Tiraq. de utroque retractu, ut. 1. §. 1. num. 34. Et infra, ubi videtur tenere partem affirmativam.

PATRIARCHA.

Patriarcha facit crucem deferri ante se ubique, nisi ubi sit summus Pontifex, vel ejus legatus, & est Judex ordinarius omnium suorum Archiepiscoporum, Episcoporum verò, Suffraganeorum vel subditorum eorum non, nisi prout dixi in ver. *Archiepiscopus*, §. 1. Et in ver. *appellatio*, §. 16. Abb. in c. antiqua, n. 1. Et 3. de privileg.

PRIVILEGIUM.

Primò, privilegio suo an possit quis renunciare, & an possit præscribi spatium quadraginta annorum, vide Abb. in c. si de terra, num. 5. Et 7. de privileg. Iason. in l. beneficium, ff. de constitu. Princip.

Secundò si perdat, quomodo probetur, vide eundem in cap. cum olim, il primo, num. 1. eod. tit.

Tertiò, quomodo pereant privilegia concessa monasterio, ipso destructo, an sumant vires ipso ædificato, & quid de privilegio concessò possessionibus, vel Religioni, vide Innoc. in c. Abbate, in fine, de verb. signific. & Abb. in d. c. Abbate, num. 16. & an evanescat per unam contraventionem, vide eundem in c. pro illorum, de præb. similiter de statuto, & consuetudine, *ibid. n. 5.*

Quartò, quibus ex causis perdat, vide gl. & Abb. in cap. suggestum, n. 6. de decim. & Gomel. in c. n. 205. de reser. lib. 6. Et tract. de relig. casu 149.

Quintò, an, & quando privilegiū extinguatur.